mirabilis ut vix ullo ingenio assequi possit. Nam quomodo fiant actiones et motus cerebri qui sane sunt mirabiles sensu deprehendi non possunt. Cerebri ergo officium est praeparare spiritus animales qui organa proxima sunt sensuum et motus. Locus cerebri est manifestus, Cavitas scilicet calvariae seu cranii quae excipit cerebrum.

Cerebrum duabus tegitur membranis.

Cerebrum autem tegitur duabus membranis quarum exterior vocatur crassa et dura membrana, quia non est crassior membrana in toto corpore, et in homine multo crassior est quam in ceteris animalibus, haec proxime cingit interiorem calvariam cranii cuique firmiter adhaeret atque annectitur in una in parte laxius in alia firmius. Firmius quidem annexa est basi cerebri, quam in lateribus vel reliquis quibuscunque partibus. Firmissime vero omnium ossium processibus qui ossa habent magnos processus. Deinde valde firmiter adhaeret suturis cranii quibus annectitur per membraneas fibras, quae postea degenerant in membranam cranii peculiarem quod vocant pericranium.

Pericranium et dura mater sunt unum corpus continuum.

Ita pericranium et dura mater mediantibus istis fibris membraneis, sunt unum corpus continuum. Estque utrique processus dura membrana, similiter ut Vesalius inter os cranii et pericranium intercedere alteram membranam quae communis est omnibus ossibus. Pars interna cranii caret periosteo in iis partibus ubi dura mater superficiem internam cranii non attingit.

Spacium inter duram matrem et cerebrum.

Et intercedit satis angustum spatium inter duram matrem et cerebrum, idque magis aestate quam hieme, quod hieme cerebrum excrementis pituitosis repleatur quae opplent istud spatium. Est autem dura illa mater in continuo motu id quod manifeste apparet in infantibus. Movetur per sistole et diastole non aliter quam cor et arteriae, nam latera simul contrahuntur et diducuntur ad quem motum et cerebrum et pia mater simul moventur, stimulus motus statim languescit cum aperiuntur capitis ulcera propter ambientem aerem qui semper frigidior est quam sit calor

Dura mater est in continuo motu et movetur per sistolen et diastolen sicut cor.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1219/0252
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG